DE

HAEMORRHAGIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVIII. M. APRILIS A. MDCCCXXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JACOBUS THOMAS SMITH
ANGLUS.

OPPONENTIBUS:

G. KAHLE, MED. ET CHIR. DR. ET MED. PRACT.
M. NAGEL, MED. ET CHIR. DR. ET MED. PRACT.
O. STEINRUECK, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

DILECTISSIMO, OPTIMO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

FILIUS.

Haemorrhagia, de qua in hac dissertatione dicere apud me constitui, hac ratione definiri potest: »Effusio sanguinis rubri ex illis vasis, intra quae, si sanus est homo, cursum suum absolvere debet, vel causis externis oriens, ut vi vel injuria illatâ, vel internis, ut debilitate, aut morbo vasorum, vel plethora,« — de quibus vicissim breviter erit dicendum, ita quidem, ut ordiar ab haemorrhagia, causis externis oriente. Haec species est vel interna vel externa: interna ubi cutis integritas non est laesa, sed sanguis in cavitates majores effunditur, nempe in cavum cranii, in cavum pectoris, in pericardium vel in abdomen; — quae quidem haemorrhagiae potius ad medici quam ad chirurgi forum pertinent, ita-

que hoc loco non sunt considerandae. De effusione sanguinis etiam inter musculos, vel in telam cellulosam ut prolixius dicam, non est necessarium, sedes enim morbi fere semper statim cognoscitur cute discolori, quae primum livida et coerulea, postea flava fit. Haec species haemorrhagiae, nisi ex arteria majore vulnerata oritur, minime est periculosa, sanguis enim effusus promte resorbetur, nisi quantitas permagna fuerit, et suppurationem inducat. Potissimum de haemorrhagiis ex arteria majore vulnerata sermonem faciam et de methodis variis, profluvium sanguinis inhibendi, nihil enim in tota arte chirurgica majoris est momenti. Arteria laesa, sanguis non rivo aequali, ut ex vena, effunditur, sed vi magna et per saltum; colore etiam statim discernere possumus, utrum haemorrhagia sit arteriosa an venosa; in hac enim sanguis purpureus, in illa contra laete rubicundus. Haec distinctio maximi est momenti, quia haemorrhagia venosa minus est periculosa et, nisi vena permagna sit, plerumque sponte sua desinit; prae-

cipue vero eam ob causam, quod ligaturae ad venas applicatae saepissime inflammationem et suppurationem, imo interdum mortem intulerunt.

Haemorrhagia autem arteriosa rarius sponte sua cessat, plerumque arte est reprimenda, ad quod efficiendum varia adminicula proposita sunt, vel ab antiquissimis inde saeculis. Celsus ad profusionem sanguinis supprimendam multa styptica enumerat et in libro Vto haec adnotat: »Si profusionem timemus (quod ex sede vulneris et magnitudine ejus et ex impetu ruentis sanguinis intelligi potest), siccis linamentis vulnus implendum est, supraque imponenda spongia ex aqua frigida expressa, ac manu super comprimenda. Si parum sic sanguis conquiescit, saepius linamenta mutanda sunt.« »Quodsi illa quoquo profluvio vincuntur, venae, quae sanguinem fundunt, apprehendendae, circaque id, quod ictum est, duobus locis deligandae intercidendaeque sunt, ut et in se ipsae coëant et nihilominus ora praeclusa habeant. Ubi ne id quidem res patitur, possunt ferro candenti aduri.«

His omnibus remediis etiam nostro tempore utimur. Tamen ligaturae maxime fidendum est, ubi haemorrhagia ex arteria majore fit, v. c. ex arteria ulnari, vel radiali. — Quanquam a nonnullis chirurgis, praecipue ab Amussat, torsio arteriarum vel majorum, ut femoralis, commendata est, tamen huic remedio minime confidendum est, si ex arteria ampliore haemorrhagia oritur; quod vero ad arterias minores attinet, utilissimum est et efficacissimum auxilium. — Aliis etiam remediis contra haemorrhagiam utimur, nempe compressione, quocunque modo applicata — frigore, stypticis; vel partem sanguinem emittentem aëris accessui submittimus, quibus modis scilicet haemorrhagia ex arteriis minoribus optime reprimi potest, tunica enim tenuis ex lympha in superficie vulneris formatur, quae oscula vasorum claudit. Ligatura, quanquam antiquis nota fuit, ab iis non adhibita fuisse videtur, sed demum a Paraeo in usum vocata. Nostro etiam tempore nihil habemus, quod haemorrhagiam supprimere certius valeat. Ligaturam ad arteriam

applicatam hi effectus sequuntur: Imo. Tunica interna et media arteriae discinduntur — et in unum comprimuntur. IIdo. Coagulum sanguinis in arteria formatur, modo ligatura prope ramum lateralem majorem applicata non fuerit; at nihilominus etiam in hoc casu adhaesio inter tunicas internas fit, quamvis minus certo. IIItio. Inflammatio tunicarum internarum oritur, lympha effunditur, quae partes vulneratas conjungit, ita ut canalis arteriae obliteretur; eodem tempore inflammatio partium circumdantium oritur et per lympham extra arteriam effusam et per tumorem ad producendum eundem effectum confert. IVto. Sanguis in ramos laterales fluit, qui cito capaciores fiunt. Vto. Ulceratio tunicae externae fit et ligatura tempore longiore vel breviore pro arteriae magnitudine extruditur.

Ligatura hoc modo applicata nominatur immediata, mediata autem si aliae partes simul cum arteria ligantur, quae methodus praecipue utilis est, si difficulter discerni potest, quonam ex vase sanguis profluat. Multi autem ob-

veniunt casus, in quibus ligatura applicari non potest, exempli gratia epistaxis, vel si haemorrhagia, quod aliquando fit, extractionem dentis sequitur; in his igitur exemplis ad obturationem, ad compressionem, ad styptica, imo ad ferrum candens confugiendum est.

Haec breviter de haemorrhagiis adnotavi, quatenus ad chirurgiam pertinent, nunc autem de haemorrhagiis internis dicendum est, quae scilicet eo periculosiores sunt, quod adminiculis mechanicis comprimi nequeunt, sed modo remediis internis vel stypticis externis fidendum est, et si perpendimus, quam saepe eventus lethalis sequatur, et quam grave sit medici negotium, duce natura mortem avertendi, vel procrastinandi, certe nulla pars artis medicae studio et attentione dignior videtur.

Haemorrhagia interna variis causis oriri potest, ut functione organorum disturbata, sanguinis congestione, morbo locali. Diu de sede haemorrhagiae disputatum est, utrum ex arteria an vena majore rupta, num e vasis multis mino-

ribus oriatur; sed tempore recentiore Morgagni, Laennec, Bichat confirmarunt, sanguinem e vasis capillaribus, quae per membranas mucosas, vel serosas, vel per parenchyma organorum distribuuntur, profluere. Haemorrhagia raro idiopathica est, sed in plerisque casibus symptomatica; causas igitur efficientes accurate dignosci maxime necesse est. Ex his causis pathologicis pendere videtur: Imo. Ex conditione virium vitalium. IIdo. Ex conditione partis, in qua haemorrhagia oritur. IIItio. Ex conditione morbosa instrumentorum circulationis, vel vasorum. IVto. Ex conditione morbosa sanguinis. In haemorrhagiis vis circulationis in partibus vel organis laborantibus tantum aucta est, quod in epistaxi, nonnunquam etiam in haemoptysi et in haematemesi observare licet. In quibus morbis, etiamsi vis circulationis localis adest, cursus sanguinis per partes reliquas corporis naturalis est, vel depressus infra gradum consuetum. Tamen, etiamsi haec vis aucta et excitatio tantum localis videtur, concedendum est,

actionem febrilem cum pulsu accelerato saepius profluvium sanguinis praenuntiare et comitari. Quod attinet ad structuram partium mutatam adnotandum est, haemorrhagiam e duabus causis oriri posse, nempe e vi excessiva circulationis, quae vires vasorum extremorum superat, vel e morbo vasorum ipsorum et partium circumdantium, ut in dysenteria, in scorbuto, in febri et in purpura haemorrhagica. Oriri quoque potest ex morbo apparatus circulationis, cursum sanguinis difficilem reddente, et ex aliis causis congestionem vel ad membranas vel ad viscera excitantibus, qua gradatim adaucta, natura tandem morbum ejicere nititur, quod in multis casibus per haematemesin, haemoptysin et haemorrhagias viscerum abdominalium fieri videtur.

Conditio sanguinis valde differt secundum formam haemorrhagiae, utrum nempe sthenica an asthenica sit. Quodsi enim impulsus cordis multum augetur et excitatio febrilis adest, omnia symptomata inflammationis apparent. Sin autem haemorrhagia est asthenica, sanguis interdum in

crassamentum et serum non secedit, vel si hoc fit, crassamentum est tenue, nigrum, molle, et cum sero facile misceri potest. Saepe etiam sanguis saniosus, pallidus, tenuis, aquosus profluit, sine omni paene fibrina, quae coagulationem efficere debet. Conditio enim sanguinis gradatim mutatur, secundum diuturnitatem morbi, vel quantitatem amissam, ita ut pars serosa magnopere augeatur, propter absorptionem fluidorum eodemque tempore crasis et tenuitas ejus minuatur — et forma sthenica gradatim in asthenicam transeat. Haemorrhagia sthenica saepius in hominibus plethoricis, scrofulosis, temperamento sanguineo et irritabili praeditis, quam in lymphaticis et melancholicis occurrit, rarius aetate infantili vel provectiore saepius in adolescentia. Inter causas hujus morbi remotas cursus excessivus vel saltatio, gestatio ponderum graviorum, tussis violenta, temperies subito aucta, siccitas et pondus aëris minutum, abusus liquorum spirituosorum et stimulantium, animi pathemata, ut ira vel laetitia, referenda sunt, neque minus omnia

etiam debilitatem inducentia, ut cibus insaluber et nimis parcus, labor excessivus et cet.

Symptomata haemorrhagiae majores fere differentias exhibent, quam causae, et dissimilia sunt secundum sedem et gravitatem morbi. Sthenicis haemorrhagiis signa plethorae et actionis auctae plerumque praecedunt, horripilatio et horrores, cum calore alternantes adsunt, tum febris, pulsus frequens, plenus, durus, dum anxietas et sensus caloris et tensionis, dolor et temperies vere aucta eo in loco, quem haemorrhagia tenet, malum aliquod clandestinum satis indicant. Quodsi forma haemorrhagiae est asthenica, haec symptomata rarius aut nunquam apparent, sed lassitudo, anxietas, pallor faciei, frigus extremitatum, pulsus rapidus, debilis, facile comprimendus. In haemorrhagiis sthenicis sanguis est ruber, et spissus, celeriter et intense coagulat, ita ut, congestione ad partem laborantem submota, profluvium saepe sponte sua cesset, fibrina scilicet sanguinis coagulante oraque vasorum obturante. Hoc tamen minime fit in

haemorrhagiis asthenicis; ob conditionem enim morbosam sanguinis, vel vasorum capillarium ipsorum, coagulum vel nullum vel exile formatur, vel vasa extrema, omni vi contractiva amissa, profluvio sanguinis obsistere nequeunt, et mors cito irruit, nisi medicus per remedia apta viribus naturae labantibus subveniat. Quod ut fieri possit, nihil magis est necessarium, quam ut accurate dignoscamus, qua ex parte vel organo haemorrhagia oriatur, utrum sit idiopathica, an symptomatica, arteriosa, an venosa, num ex membrana serosa, an mucosa, utrum ex parenchymate alicujus organi sanguis proficiscatur. Symptomata generalia, quae profluvium sanguinis indicant et comitantur, jamjam descripta sunt, nunc igitur de ratione medendi dicendum est, primum quidem quod ad haemorrhagiam sthenicam attinet. In hac morbi forma methodus antiphlogistica plerumque adhibenda est, sequentem scilicet in modum: primo actio impetuosa cordis et arteriarum minuatur, et impetus sanguinis partem laborantem versus inhibeatur, ita ut vasa

extrema vi cordis obsistere et sese contrahere possint. Deinde causa plethorae, vel congestionis amoveatur, tertio febris et inflammatio debellentur. Ad haec perficienda nihil utilius est, quam missio sanguinis universa, quae fere semper instituenda est, et quidem larga, usque ad lipothymiam. Adnotandum enim est, missionem sanguinis parvo et tardo rivo pulsum parum mutare, aegrum debilitare, minimeque ad haemorrhagiam vel cursum morbi inhibendum sufficere. Posthac, si depletione locali opus est, vel cucurbitas cruentas, vel hirudines adhibere licebit. Quod autem ad missionem sanguinis repetitam pertinet, haec a medico exacte consideranda sunt: primo quantitas sanguinis et per haemorrhagiam et venaesectionem amissi, secundo vis et frequentia pulsuum. Et quidem de his recte judicare, saepe difficillimum est, quia, etiamsi vis et frequentia pulsus primo minui videntur, reactio prompte evenit, et ob conditionem irritabilem cordis arteriarumque, iterum frequens, durus et vibrans pulsus sentitur. Primo obtuitu

haec symptomata missionem sanguinis repetendum indicare videntur, sed hic error a medico sedulo vitandus est; pulsus enim post magnam sanguinis jacturam saepissime pulsum inflammatorium simulat, attamen, quamvis hanc indolem certo indicare videtur, digito facile comprimi potest et praeterea sensum proprium efficit, quem semel si perceperis, facilius est cognoscere, quam describere.

Simul cum missione sanguinis alia remedia maxime cum fructu adhibere possumus, nempe vel emetica, vel purgantia, nisi sedes haemorrhagiae usum illorum reprobet; refrigerantia, ut frigus vel fomenta frigida, medicamenta functionem cutis adaugentia, exempli gratia, ammonium muriaticum, kali nitricum, kali sulphuricum etc., potus frigidos et acidulos, sed cavendum est, ne, dum frigus vel refrigerantia adhibemus, sanguinis congestionem ad sedem morbi iterum adjuvemus. Adstringentia, nempe acida mineralia, praecipue sulphuricum, et alumen, zincum, cuprumque sulphuricum, argentum nitricum saepe cum emolumento adhibentur. Sed prae his omnibus zin-

cum et praesertim plumbum aceticum utilia sunt. Postquam remedia efficaciora adhibita erunt, sedantia maxime prosunt, nullaque inter haec remedia utiliora sunt, quam acidum Hydrocianicum et Digitalis, quae simul vim cordis et arteriarum subigunt, et illam excitationem minime inducunt, quae opio plerumque efficitur. Quando igitur opio utimur, dosis largior esse debet, ita ut effectum sedantem potius quam excitantem consequamur. Opium autem cum plumbo acetico conjunctum maximo cum fructu adhibetur; nec praeparata opii sunt praetermittenda, morphium nempe aceticum et morphium muriaticum, e quibus principium opii stimulans ablatum est. Omnia denique remedia salutaria sunt, quae circulationem sanguinis aequabiliorem reddunt, quem in finem diaphoreticis utimur, et omnibus quae sanguinem a parte laborante ad superficiem corporis, vel ad extremitates deducunt. Haec remedia derivantia appellantur. Ad hoc perficiendum cucurbitis siccis, (ut Hippocrates inter antiquiores, Horn et Neidemann inter

recentiores suadent, si jactura sanguinis non amplius admittenda est), emplastris vesicatoriis ad partem laborantem, vel fomentis calidis et irritantibus ad pedes applicatis utendum est; interea summa quies corporis et animi tranquillitas aegro imperetur. In haemorrhagiis autem asthenicis ratio medendi omnino dissimilis est. In plerisque casibus enim missio sanguinis institui non debet, quia profluvium vel a conditione morbosa sanguinis, vel vasorum capillarium, vel partium circumdantium pendet, et pulsus fere semper debilis et mollis sentitur. Haec igitur flagitari videntur: Imo ut profluvio sanguinis obsistamus; IIdo crasin sanguinis, et vires vasorum, vel partium morbosarum corrigamus; IIItio sanguinem a parte laborante abducamus; IVto omnes corporis functiones moderemur. Hoc optime consequimur per medicamenta tonica et adstringentia, ut ferrum sulphuricum, ferrum muriaticum, acida vegetabilia et mineralia, cinchonam, chinium sulphuricum, vinum, aërem liberum cet., nec non per fomenta calida, vel ex

aqua, vel e Terebinthina, pedibus applicata. Medicum interea oportet functiones organorum variorum observari et moderari, praesertim hepatis, ventriculi, cutis et intestinorum.

Nonnullae sunt formae haemorrhagiae, quae ex habitu corporis singulari oriri videntur, ut Epistaxis et profluvium sanguinis periodicum, quod ex Haemorrhoidibus evenit. Epistaxis frequentius apud infantes et juvenes occurrit, praesertim idiopathica; in corporibus scilicet temperamenti sanguinei et irritabilis, quorum cutis est calida, mollis, tenuis, faciei color floridus et cursus sanguinis expeditus, Epistaxis interdum hereditaria esse dicitur. Quando autem aetate provectiore accidit, plerumque symptomatica est, et morbum organi alicujus interni nuntiat, vel etiam morbos graviores saepe avertit. In his igitur et similibus casibus summa attentio medici necessaria est, profluvium enim sanguinis saepe, si haesitat, promovendum est, raro autem, vel nunquam, nisi permagnum evaserit, igitur periculosum, supprimendum. Quando enim hoc ac-

ciderit, verisimillimum est, congestionem, vel extravasationem sanguinis in organo quodam nobiliori eventuram esse, ita ut, pro morbo relative minori morbus maxime periculosus nasci possit. Profluvium igitur sanguinis ad locum priorem reducere debemus et haemorrhagiam ex parte nuper effecta inhibere. Hoc praeceptum quidem semper sequi debemus. „Quo vergit Natura, eo ducatur." Altera etiam species est haemorrhagiae vicariae, nempe haemorrhagia per cutem, a multis auctoribus observata. Profluvium sub forma sudoris sanguinei plerumque apparet, ex hisce partibus: genis, facie, parte anteriore thoracis, axillis, mammis, vel earum papillis, inguinibus, umbilico, palmis manuum et plantis pedum; saepe etiam e partibus morbo veteri affectis, ut e cicatricibus et naevis. Haec forma morbi e conditione circulationis et habitu proprio corporis pendet, et post profluvia sanguinis consueta subito suppressa oriri dicitur, ut post mensium vel haemorrhoidum suppressionem. Profluvium saepe periodice re-

dit et in loco fluxus naturalis succedit. Restitutio igitur secretionis naturalis molienda est, quo effecto, fluxus vicarius solet cessare. Quodsi e vitio corporis, vel defectu virium vitalium morbus oritur, medicamenta tonica et adstringentia, tam interne, quam externe, adhibenda sunt. — Saepe etiam profluvia sanguinis critica videmus in hominibus temperamenti sanguinei et irritabilis, et in morbis acutis. Oriuntur frequentius in febribus adynamicis et pestilentibus, in variolis confluentibus, scarlatina maligna; e pulmonibus, ventriculo, renibus et intestinis saepius exitum lethalem sortiuntur.

Haec generatim de haemorrhagia, de causis variis morbi, de symptomatibus, de ratione medendi sufficiant. Haec autem medico minime satisfaciunt, cui opus est, ut symptomata varia accurate inter se dignoscat, ut per haec sedem et causam morbi eruat et auxiliis medicamentisque idoneis uti possit. In hac dissertatione igitur symptomata haemorrhagiarum variarum inter se breviter comparare et signa propria et prae-

cipua, quae diagnosin adjuvare possunt, enumerare apud me constitui. Symptomata epistaxeos, quia cum haemorrhagia in aliis partibus sedem habente vix confundi potest, non necesse est referri, saepe autem difficillimum est discretu, num haemorrhagia ex ore et faucibus, an e ventriculo, vel e pulmonibus proficiscatur. Haemorrhagia ex ore et faucibus a multis auctoribus observata est et a Vogel „Haemorrhoides oris" nominatur. Hic morbus facile cum Haematemesi, vel Haemoptysi confundi potest, si profluvium sauguinis permagnum est, vel si aeger instante morbo dormit, et multum sanguinis in ventriculum descendit; hic enim vomitu cito ejectus pro certo signo haematemesis haberi potest, et diagnosin multo difficiliorem reddit. Quando haemorrhagia tam copiosa est, ut os et fauces non commode inspici possint, aeger corpus inclinare debet, ut sanguis libere ex ore profluat; tum si nec spumosus, nec valde floridus, nec cum cibis mixtis apparet, non amplius dubitandum est, haemorrhagiam in hac regione

sedem habere; porro si aeger sanguinem in faucibus collectum sentit, et sine labore exscreare potest, pars affecta facile discernitur. Haemoptysis etiam, quamvis propria habet symptomata vel cum Haemorrhoidibus oris, vel cum Haematemesi confundi potest, sed ab his morbis accuratissime dignoscitur; in Haemoptysi enim haec symptomata accessionem morbi praecedunt et comitantur: anxietas, sensus graviditatis, tensionis et caloris sub sterno; dolor pectoris, tussis, dyspnoea et palpitationes cordis; tum ebullitio in pectore vel trachea sentitur, titillatio laryngis, sapor salsus in ore, et subito exscreatio sanguinis floridi et semper spumosi sequitur, nisi quantitas permagna sit; pulsus fit frequens, validus, durus; genae rubent et anxietas maxima animum aegri perturbat; exercitationes vel minimae vocis, vel tussis, haemorrhagiam saepius reducunt. Si autem jactura sanguinis excessiva est, respiratio fit rapidior et brevior, vox debilis et interrupta, extremitates frigidae; labia livida, lipothymia, vel etiam syncope accedunt

cum omnibus signis haemorrhagiae profusae. Irritatio faucium et pharyngis saepe vomitum movet, vel etiam multum sanguinis interdum in ventriculum influit; ita ut, ingestis in sanguine ejecto inventis, diagnosis difficilior reddatur, et primo existimari possit, sedem haemorrhagiae in ventriculo esse. Igitur ut inter Haemoptysin et Haematemesin accurate dignoscamus, symptomata hujus morbi respiciamus. Instante Haematemesi, aeger nauseam, cardialgiam, anxietatem, sensum tensionis et doloris in epigastrio conqueritur, horrores etiam cum calore alterno; pulsus saepe rapidus, plenus et fortis sentitur, lingua alba apparet, vel muco obtecta, interdum rubra et arida circa apicem et margines; dolor auctus nauseam sequitur, et statim sanguis purpureus vel niger et coagulatus vomitu ejicitur, cum cibis et aliis, quae ventriculus continebat, mixtus. In multis casibus Haematemesis, si morbus ab inflammatione ventriculi pendet, substantiae membranosae vel carnosae simul cum sanguine evomuntur. In forma simplici et non complicata

horum morborum diagnosis minime difficilis est; in hoc enim vomitus sanguinis purpurei, saepe coagulati, cum cibis mixti ventriculum laborantem indicat, in illo exscreatio et ejectio sanguinis floridi, spumosi, liquidi et cum muco vel pure mixti, saepius tussiendo ejecti, affectionem pulmonum. Complicationes, quae saepius eveniunt, diagnosin difficiliorem reddunt. Primum, ut diximus, in Haemoptysi multum sanguinis saepe in ventriculum discendit et postea vomitu ejectus hoc organum sedem esse haemorrhagiae indicare videtur. Sed dyspnoea, sensus ebullitionis in trachea, calor sub sterno, et fortasse tussis in hoc morbo non adsunt; porro sanguis indicium praecipuum exhibet, nempe in hoc morbo plerumque purpureus, niger vel coagulatus et cum cibis mixtus, in illo autem floridus, fluidus, spumosus. Indoles autem sanguinis ejecti non semper ad eruendam diagnosin sufficit, quia, si copia exigua in pulmones effusa est, saepe non statim ejicitur, sed tandem expulsus, semicoagulatus, et coloris fusci, qualis proficiscitur e

ventriculo, apparet; contra sanguis, ex arteria ventriculi rupta vel ulcerata, vel ex aneurysmate rupto, imo ex nonnullis casibus inflammationis acutae et congestionis, fluidus, floridus, nec cibis mixtus invenitur et, si tussim simul movet, Haemoptysin indicare videtur. Ad signa praecedentia igitur semper exacte respiciendum est, praesertim utrum symptomata morbi pulmonum prius exstiterint, ut tussis, dolor pectoris, vel exscreatio muci, vel puris, an signa Haematemesin praeeuntia nota fuerint. Quodsi sedes morbi nondum satis certo indicatur, percussio et auscultatio rem extra dubitationem collocabunt.

VITA.

Ego Jacobus Thomas Smith, Anglus, fide
evangelicae addictus, in comitatu Hertfordia
die XXII. Junii anni MDCCCXIV. natus sum
patre Jacobo Smith, matre Elisabetha,
stirpe Pollet. Primis litterarum elementis dom
imbutus, scholas literarias adii, in quibus per an
nos decem ad studia incubui. Scholis relictis
ad studia medica animum adverti in collegio re
gio et in nosocomio excellentissimo Sancti Geor
gii Londinensi. In his institutis per quatuo
annos varias audivi lectiones de omnibus, qua
ad artem medicam pertinent, nempe de physio
logia et anatomia Prof. Ill. Mayo et Part

ridge, de chirurgia Ill. Green et in nosocomio clinicas lectiones chirurgicas Ill. Brodie, Keat, Hawkins et Babington, de medicina Ill. Hawkins et lectiones clinicas Ill. Chambers, Wilson, Macleod, de chemia et physice experimentali Ill. Daniel, de materia medica Ill. B. Hawkins, de arte obstetricia Ill. Ferguson, de medicina forensi Ill. Watson. Quibus studiis tandem peractis, examina medico-chirurgica coram collegio chirurgorum regio Londinensi subii. Posthac urbem celebrem Bath adii, et per annum unum officiis chirurgi in nosocomio chirurgico et medico ejusdem urbis functus sum.

His absolutis Berolinum me contuli, summum in medicina et chirurgia gradum capessendi cupidus. In hac urbe lectiones clinicas Ill. Jüngken et lectiones anatomico-practicas Ill. Müller frequentavi.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Absoluto tentamine et examine rigoroso, fore spero, ut, defensis dissertatione thesibusque adnexis, summi in medicina et chirurgia honores mihi deferantur.

THESES.

1. Gangraena non vetat amputationem.
2. Auscultatio et percussio ad cognoscendos morbos plurimum valent.
3. Resectio amputationi saepe anteponenda.
4. Ad curandam hydrocelen injectiones praestant incisioni.